



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XCII. Bonum est confiteri Domino, & psallere, &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Faxo uirenti robore tranfigat
 Seræ senectæ tempora suauiter:
 Meosq; monstrabo beare
 Qua soleam ratione amicos.

PSAL. XCII, *Bonum est confiteri Domi-
 no, & psallere, &c.* Carm. gen. 3.

TE prædicare, laudibusq; prosequi,
 Rex alme cælitum: hecet:
 Seu sol Eoa luce terras purpuret,
 Seu nox tenebris obruat.
 Lux prædicantem me tuam clementiam,
 Nox audiet constantiam:
 Nec uoce tantum, sed canora barbito,
 Sed cymbalo, sed nabho.
 Operum tuorum tacita cogitatio
 Animum iacentem exsuscitat.
 Quam facta reputo, gestiunt præcordia
 Perfusa dulci gaudio.
 O opera, facta, ô uerè magna, ô sub caua
 Consilia nube condita:
 Consilia cæcis mentibus mortalium
 Ignota: qui non cogitant
 Florere prauos instar herbæ, quam fouet
 Sol lenis, humor educat:
 Mox instar herbæ frigorum afflatu leuî
 Marcentis euanescere.
 Tu semper idem permanes, nec sentiens
 Rerum uices nec temporum:
 Sceleris amicos ac tuos hostes premet

M ij

Ruinæ ineuitabilis:

At me fouebis patria indulgentia,

Crudo uigentem robore:

Et rore mitis balsami uultum imbues,

Roseo iuuentæ lumine.

Oculis malignis qui tuentur me hostium

Pascam ruinis lumina

Et impiorum qui creant molestiam

Mihi, lætus excidium audiam.

Ceu palma, iustus germinabit interim,

Aut Cedrus in Libani iugo,

Quam non procellæ, non calor, non frigora

Honore nudant frondium.

Quæ planta firmis hæserit radicibus

In æde Domini aut atrijs,

Se flore amœno frondibusq; uestiet:

Fluxiq; lapsu temporis

Aegrè senectæ damna nulla sentiet,

Onerata largis fructibus,

Vt nota cunctis gentibus sit æquitas

Domini potentis: qui meæ

Arx est salutis una, qui nunquam malæ

Affinis est iniuriæ.

PSAL. XCIII. Dominus regnauit, deco-
rem indutus est, &c. Carm. gen. 2.

Iam Dominus rerū imperiū suscepit, amictus
Decore multo & dignitate: robore

Iam sese accinxit: Dominus, qui mœnia mundi

Firmauit, ullo non mouenda sæculo.

Cuius